

II. NEUWIEDIA Bl.

Gynandria Triandria Linn. Syst. sex.

Character essentialis.

Limbus perianthii sexdivisus, irregularis: segmento postico (tabello) interiorum reliquis difformi. *Stamina* antherifera tria. *Capsula* trilocularis, polysperma. *Semina* ob testam utrinque subulato-relaxatam scobiformia.

OBSERVATIO.

Ab omni inde tempore res fuit rarissima, ut homines, summo genere nati ac re familiari lautissimâ gaudentes, scientiae cupiditate inducti periculorum, cum remotarum regionum investigatione conjunctorum, discrimen subirent. Cui haec legenti non ultro in mentem venit *Josephi Banks*, audacissimum *Cookium* in circumnavigatione orbis terrarum comitantis? — aut *Georgii Valentia*, peregrinatoris sagacissimi, cui melior cognitio Abyssinae et inprimis litorum Sinus Arabici debetur? — Si autem hi viri optime de disciplinis meriti eâ natione sunt oriundi, quam navigatio ac mercaturae cum remotissimis regionibus commercium quasi sponte suâ ad utilissimas ejusmodi investigationes compellere debeant, eo majorem admirationem excitant Illustrissimi *Alexandri ab Humboldt* itinera, quo longe splendidior ex iis in omnes partes disciplinarum naturalium fructus redundavit majusque scientiae humanae incrementum investigationibus ejus accessit, quam unquam alias expeditionibus ejusmodi sumtibus publicis susceptis. — Nec minus digna est, quam grati agnoscamus, diligentia optimo successu coronata *Maximiliani Principis a Neuwied*, jam alterâ vice, ut novum gentium terrarumque cognitioni lumen afferat, interiora Brasiliae perscrutantis, licet gravissima illum aegrotatio

anno 1817 in patriam inde redire coëgisset. Tantis igitur meritis inductus plantarum hocce genus admodum memorabile ei dedicavi, id que eo magis, quo plura jam atque graviora inventa disciplina botanica itineribus Augustissimi Principis debuerit.

Ab *Apostasia* hocce genus insignitur: 1°. Perianthio subringente, cum segmentum posticum seriei interioris sit formâ a ceteris diversâ, nempe dilatato-spatulatum. 2°. Staminibus tribus fertilibus, quae in eâ reperiuntur, ceterum dispositione eadem ac in *Apostasiâ*. 3°. Seminibus testae subuliformi inclusis, quae res aequae ac perianthium irregulare huic generi proprium manifestum ejus transitum ad *Orchideas* indicat.

1. *Neuwiedia veratrifolia* Bl.

Planta caule simplici inferne radicante, omnino habitus ejusdem ac quaedam *Orchideae* terrestres Florae Javae, e. gr. genus *Calanthe* Rob. Br., foliis lato-lanceolatis, nervoso-plicatis, racemo terminali puberulenti, floribus breviter pedicellatis unibracteatis flavescentibus.

Habitat in silvis montium altiorum Javae occidentalis, licet rarissime; ego certe semel tantum mense Julio plantam florentem et alteram eodem tempore fructiferam indagavi.